



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1709**

Denunciationis Form. XXXVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

Votorum violatione ad Sæculum redire, & à Claustra egredi, prout nos licentiam egressus liberè concedimus.

Item per caput separatum dicimus, & declaramus N. qui vim, & metum intulit, & d. N. ad suscipiendum habitum Religionis, & emittendam in cap. 18. sess. 25. de Regul. Concilii Trid. (vel si agatur de professione Viri, esse excommunicandum, prout excommunicamus) & tanquam excommunicatum, esse publicè denunciandum, prout nos denunciar volumus, & mandamus.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

### S U M M A R I U M.

- 1 Qui vult allegare nullitatem suæ professionis, non auditur, nisi retento habitu Religionis intra Claustra.
- 2 Ex aliqua justa causa potest audiri extra Claustra retento habitu.
- 3 Qui vult reclamare, post quinquennium debet obtinere restitutionem in integrum à Papa.
- 4 Religiōi viri professi in Domibus non designatis, super nullitate corum professionis non audiuntur nisi coram Sac. Congreg. Concilii.
- 5 In processu construendo super nullitate professionis, citandi sunt, qui habent interesse.
- 6 Cogentes Virgines, vel Mares ad suscipiendum habitum Religionis sunt excommunicandi, & n. 7. 8. & 9.
- 10 Parentum confessio de vi illata, sufficit ad inferendas censuras, non autem ad annullandam professio-

- 12 Ad judicandum an metus incusus sit suscipientis, nec nè ad annullandam professionem, plura consideranda sunt, & num. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22.
- 23 Hermaphroditus, qui valide professus fuit, an possit à Religione dimitti absque licentia, Papæ, referuntur DD. Sententiæ, & num. 24. 25. 26. 27. 28. & 29.
- 30 Hermaphroditus est irregularis.
- 31 Hermaphroditus dicuntur Androgyni, quorum species abundat in America.
- 32 A censura inficta contra cogentes faminas, vel Viros ad suscipiendum habitum Religionis, an detur appellatio ostenditur.
- 33 Ordinarius procedens ad censuras viore rescripti Sacr. Congregationis, quid ager debeat indicatur & nu. 34.
- 35 Cogentes ad suscipiendum habitum Religionis, juste excommunicantur.

### Denunciationis

### F O R M U L A XXXII.

**H**IC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus N. excommunicatione majori, ex eo, quia vi, metuè cadente in constantem virum incusso, coagit N. ad suscipiendum habitum, & professionem emittendam in Monasterio N. contra expressam prohibitionem Sac. Canonum, & Con-

& Concilii Tridentini. Ut igitur ab omnibus evitetur præsentes jussimus publicari: & excommunicatus existet donec peracta condigna pœnitentia meruerit, &c.

N. Episcopus N.

Loco ☧ Sigilli.

*N. Attuarius.*

## V E L

**C**On autorità ordinaria si denuncia, e dichiara scommunicato di Scommunica maggiore N. perche con le violenze, e con timore cadente nell'humor costante, ha indotto, e forzato N. a pigliar l'abito della Religione, e far professione dellì trè Voti solenni nel Monasterio N. contro l'espressa proibizione del Sacro Concilio di Trento, Ed accioché sia da tutti evitato, &c.

N. Vescovo N.

Luogo ☧ del Sigillo.

*N. Attuario.*

## ADNOTATIONES.

**1** *E T INTRACLAUSURAM DE GENTIS RETENTO HABITU.* Ex hac Formula enunciativa percipere facile est, quod sive foemina, sive vir, & sive infra quinquennium, sive post, velut dicere de nullitate suæ professionis, non debet audiri, nisi maneat intra Claustra retento habitu Religionis, juxta expressam dispositionem *Concilii cap. 19. sess. 25. de regulari.* & Decretorum sæpe emanatorum Congregationis, & in specie de foemina, quæ a Monasterio aufugerat in Bisuntina 23. Martii 1697. & de viro in Mantuana 15. Junii ejusdem anni, & alibi frequenter, rescribendo contra illos, qui propria auctoritate habitum deposuerunt, & petunt audiri — reassummat habitum, redeat ad Claustra, & poslea supplicet: & hoc servat etiam in Religioso formaliter à Religione ejecto, ut in una *Papien. restitutio-* *nis in integrum* 15. Martii 1692.

**2** Verum est tamen, quod si aliquis Religiosus, aut Religiosa, non temetè, sed *Monacel. Formul. Pars. III.*

ex aliqua justa causa habitum Religionis dimitteret, v. g. quia non posset habere licentiam eundi, vel constituendi Procuratorem ad reclamandum, vel prohiberetur causas nulliratis coram Ordinario propondere, & ad Urbem accederet, vel in aliud Monasterium aufugeret sine scandalo, posset reassumpto habitu, etiam extra Claustra audiri, prout plures auditos fuisse tempore suo testatur *Navar. commentar. 4. de Regulari. num. 87.*

*Intra quinquennium*, Hoc necesse est exprimere in declaratoria, ut appareat de legitima facultate judicantis: cum Ordinarius post lapsum quinquennii à die emissæ professionis non possit se ingenerere, ut Concilium disponit in d.c. 19. sed qui post quinquennium vult reclamare, debet habitu Religionis retento recurrere ad Papam pro obtainenda restituzione in integrum, qui solet, vel per Commissionem Ordinario, directam cum clausula — *constito tibi de expositis,* &c. vel per organum Sac. Congregat. Concilii auditis partibus concedere,

I 3 con-

constito de nullitate, & de impedimento clamandi intra quinquennium, Donat. prax. rev. regul. tom. 4. tract. 12. de profess. monial. quest. 30. num. 2. Sacr. Congr. Concili in Mantuana 18. Maii 1697.

<sup>4</sup> Viri autem recepti, & professi in Domibus non designatis contra formam Decretorum Clementis VIII. nullitatem eorum professionis ex hoc capite allegantes non solum post quinquennium coram Ordinario loci, & Superioribus audiiri non possunt, sed etiam intra quinquennium reclamantes tenentur, tam ipsis, quam eorum Superiores eorum iura deducere coram Sacr. Congr. Concil. quod si non fecerint, & recedere à Monasterio presumperint, tanquam Apo statæ puniuntur, Superiores vero, qui in cognitione Causæ se ingesserint, vel professos ejecerint, Centuras latæ Sententiae, incurront, ut habetur ex Decreto Urbani VIII. quod per extensum referunt Donat. prax. rev. regular. tom. 2. part. 2. tract. 8. de Domib. Novit. q. 9. n. 8. Corrad. prax. disp. lib. 5. c. 14. num. 11.

<sup>5</sup> Desuper constructo. In fabricatione processus super nullitate professionis, & restitutionis in integrum, ut legitime dicitur constructus, citandi, & audiendi sunt, non solum Religio, sed etiam donatarii, seu Renunciatarii, vel eorum hæredes, vel similes interesse habentes in bonis professæ: seu professi prout contra Donat. in prax. rev. regul. tit. 2. par. 2. tract. 12. de reclamat. profess. q. 19. num. 11. tenet Passer. de hom. stat. tom. 3. qu. 189. art. 10. n. 485. cuius opinionem sequuta est S. Congr. Concili in Cathacen. restitutionis in integrum 20. Aprilis 1697. & in Papien. 15. Junii ejusdem anni.

<sup>6</sup> De vi eidem illata. Cogentes Virgines, vel Viduas ad suscipiendum habitum Religionis aut ad profitendum, sicuti, & auxilium, & favorem ad id prestantes, sunt feriendi gladio excommunicationis, ad quam fulminandam, & publicandam, satis est, quod constet de vi illata, & metu incusso; etiam si vim passo non concedatur regressus ad sacerdum, vel restitutio in integrum, ut potè quia tacitè, aut expresse professionem ratificavit, imò sive agatur de vi illata

feminæ sive Viro, ut plures resolutum vidi à Sacr. Congr. Concili, nempe quo ad Viros in Hispaniæ. 23. Septembr. 1690. in qua agenti pro restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii illam denegavit, addens resolutioni, & Archiepiscopus procedat ad censuras contra Patrem si adhuc vivat. In Bononien. 26. Septembr. 1699. pariter restitutione in integrum denegata, fuit additum --- & Em. Archiep. procedat contra Matrem cogentem prout de jure. In Mediolanen. 6. Febr. 1700. in qua dubio proposito --- an si concedenda restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii: responsum fuit - Ordinarius procedat juris remedii contra Patrem cogentem.

Et quo ad feminas. In Tolonen. 28. Febr. 1693. in qua concessa instanti restitutione in integrum, fuit additum --- & Episcopus procedat contra Patrem. In Conversan. Nullit. prof. 20. Julii 1698. Congr. particularis députata sex sapientissimorum Cardinalium, quorum unus erat Em. D. meus Card. Perruccius, resolutioni pro nullitate professionis captæ addidit --- & Ordinarius procedat contra eos, qui Oratricem coegerunt, & respective concilium, & favorim praefliterunt ad formam Concili sess. 25. cap. 18. de regul. In Montis Politiani 30. Augusti 1698. concessa Puellæ reclamanti restitutione in integrum, quia Episcopus erat consanguineus -- mandavit confici processum per vicinorem contra cogentes ad formam Concili. In Cephaluden. 18. Julii 1699. concessa Virginis recurrenti restitutione in integrum addidit -- Et Episcopus procedat contra Patrem cogentem ad formam Concili.

Licet autem Concilium in citato Decreto 18. sess. 25. de regular. loquatur tantum de cogentibus, vel retrahentibus Mulieres, quibus tanquam debilioribus succurrit, & non comprehendat cogentes, aut retrahentes Viros, ut de communi tradunt Barb. in d. exp. 18. n. 9. Bonaccin. tom. 1. de excom. disp. 2. quest. 6. punct. 2. n. 15. Donat. prax. regul. to. 2. p. 2. tract. 1. de recip. ad habit. quest. 12. num. 4. Passerin. de stat. homin. tom. 3. quest. 189. art. 9. num. 24. Nihilominus, quia etiam hi, qui viros cogunt graviter peccant

- cant Passerin. ibi n. 12. & ratio finalis, & intrinseca Concilii etiam in istis militat, ad promovendum, & servandum bonum Religionis. S. Congregatio eos primis partificat, & mandat coerceri, & puniri remedio juris, quod est censurarum, ut patet ex supra relatis resolutionibus, & præsertim ex d. Hispalen. 23. Septemb. 1690. & ex canone hoc Sanctum 32. q. 2.
10. Constat autem de vi illata diceretur ad hunc effectum, quando Pater, Mater, Frater in judicio faterentur, professam, sed professum coegisse: quia confessio rei spontanea in judicio emissa facit rem notoriā, & manifestam e. quæstum, de cohab. cler. & mulier. nec indiget alia probatione: non tamen talis cogentis Confessio sufficere sine aliis testibus, & præsumptionibus ad annullandam professionem, vel concedendam restitutionem in integrū, ut colligitur ex text. c. præsens 30. q. 3. ibi que glof. & ex supra allegatis resolutionibus Sac. Cong. nempē in Hispalen. 23. Septembr. 1690. in Bononien. 26. Septembr. 1694. in quibus sicut denegata restitutio in integrum, non obstante, quod Parentes judicialiter falsi fuissent, filios ad habitum religionis suscipiendum, & professionem emittebant coegisse, & magis præcise in alia Januen. 30. Junii 1694. at ad infligendam censuram satis effe monstravit.
11. Etsi Barbos. Vot. 16. num. 54. lit. 2. & Vot. 77. num. 123. lib. 3. dicat, quod iustus metus probetur ex confessione Patris metum inferentis, tamen non est ausus affirmare, quod talis confessio per se sola sufficiat ad annullandam professionem, sed in casu dicti Voti 16. Patris confessio afferebatur. In corroboratione aliarum probationum; ut legitur in d. num. 54. ibi ultimo pro corollario comprobantur predicta & numer. 55. ibi — quæ patris confessio in hac materia multum attenditur, & in casu d. Voti 77. aderant depositiones aliorum testimoniū, ut habetur ex num. 127. ibi tūm quia super sunt multi alii testes omni exceptione majores, quorum integerima fides aliorum supplet defectum: ideoque Nicolaus Papa, qui confessionem Patris de metu incuslo filio non sufficere judicavit, scribit Episcopus, ut super expositis à Pa-
- tre, investigent veritatem, d. cap. præsens 20. quæst. 3.
- Et de metu cadencie in constantem vi- 12 rum. Ad proferendum rectum judicium super qualitate metus incusso, & capiendum arbitrium à jure regulatum pro nullitate, vel validitate professionis; ad animum reducendæ sunt, & examinandæ sequentes juris regulæ, & conclusione.
- Prima quod metus, non præsumitur, sed ab allegante probari debet: sive per testes, sive per conjecturas, & præsumptione, Sperell. decis. 79. numer. 37. & 38. & quidem quod non procedat ab intrinseco, vel à causa naturali sed ab extrinseco, & a causa libera, idest ab homine procedent vi coactiva, non induciva, ad finem extorquendi consensum Sperell. d. decis. 79. num. 40. Passerin. de stat. hom. tom. 3. quæst. 189. art. 10. inf. 3. num. 59. & seqq.
- Secunda, quod metus justus cadens 13 in constantem virum, ut talis dicatur, & faciat rescindere professionem, quinque conditiones regulariter requiruntur: prima ut malum, quod timetur sit grave, secunda, ut aestimatio malii, quod timetur sit fortis, idest ut timens, non vané, aut leviter credat malum illud sibi imminere, sed probabiliter, & rationabiliter: tertia ut metum incutiens potens sit minas exequi, cum non sit Viri constantis, ac fortis quibuscumque minis terribi, & trepidare ubi non est timor: quarta ut sit solitus minas exequi, secus si sit homo verbosus, facile iram deponens: quinta ut timens non possit facile occurrere malis quæ sibi timet imminere: quia si posset alia via malis mederi, non esset justus metus, ut docent Sperell. d. dec. 79. d. num. 40. & trib. seq. Pac. Jord. elucubr. tom. 3. lib. 14. tit. 12. numer. 63. Donat. prax. rer. regular. tom. 2. p. 2. tr. 11. de profess. null. quæst. 4. num. 11. Barb. Vot. 77. nu. 47. lib. 3. Et hæc nota ut scias articulare, & probare metum.
- Tertia, quod quando pro metu adest 14 juris præsumptio, vel testes pro parte metum passi inducti deponunt de minis, & vi, & sic de actu externo, qui sensu percipitur corporeo, & è contra testes, pro libero consensu inducti deponunt,

I 4 non

- non de actibus facti , sed de rebus in animo , & mente existentibus , magis credendum est duobus testibus de metu , quam mille de libera voluntate deponentibus , Sperell. *decis. 5. n. 22. in fin.*
- 15 Quarta , quod probabilis , & prudentis timoris seu metus cadentis in constantem Virum , objectum est , timor mortis , mutilationis membrorum , corporis cruciatus , longus carcer , Exilium , libertatis , Virginitatis , honoris famae , alimentorum , & bonorum jactura , & amissio , vel alterius rei , quae de jure debetur , Passerin. *loco supra cit. d. q. 189. art. 10. insp. 3. n. 53. & art. 9. n. 17.* Sanch. de matrim. *lib. 4. disp. 5. per tot. item terror armorum Sanch. ibid. & perhorrescensia Paternae maledictionis Rot. coram Greg. 414. n. 2.*
- 16 Quinta , quod metus consideratur gravis non solum ex parte objecti , vel ex parte modi , sed etiam ex parte subjecti , & censembitur Mulier constans etiamsi timet , quod non convenit prudenter timere Viro , unde aliquis erit gravis , & probabilis metus in muliere , qui in Viro non erit , & sic minor metus sufficit in Muliere ; ut dicatur metus cadens in constantem propter illius imbecillitatem , Passerin. *loco citato nu. 55.* Graff. *dec. aur. par. 2. lib. 2. c. 5. num. 3.* Donat. *prax. rer. regular. tom. 4. tr. 12. de profess. monial. q. 29. nu. 4.* Rot. coram Coccin. *decis. 2207. num. 10.*
- 17 Sexta , quod coactione exclusa , restat firma professio etiamsi metus reverentialis Parentum conjunctus importunis precibus , & blanditiis intercedat , quia nudum Patris imperium non cogit , neque est sufficiens ad annullandam professionem nec ad incurrendam excommunicationem in foro externo , Passerin. *ubi supra art. 2. num. 19. in punto Donat. tom. 2. par. 2. trac. 11. de profess. null. quæst. 10. nu. 5. & 9.* Pellizzar. *de monial. cap. 2. n. 30.*
- 18 Septima , quod quando Parentum preces ( quæ præcesserunt ) excedunt limites modestæ , & simplicis hortationis , & persuasionis , & junguntur minis , aut verberibus , sive sint formales , sive solum virtuales , irritant subsecutam profissionem , v. g. si professurus precedenter perpetuò detineretur Domi , itaut nunquam permitteretur egredi , si denegarentur alimenta vel Dos debita : si frequenter verberaretur , si omnis occasio honeste conversandi tolleretur : si vilia servitia contra decentiam sui status obire cogeretur , Barbos. *in c. præsens 21. q. 3. n. 3. post principium Donat. tom. 4. trac. 12. de profess. Monial. quæst. 29. per tot.*
- Octava quod minæ ( dummodo testes 19 sint concordes in illarum qualitate , licet discordent de loco , & tempore ) probantur per testes singulareis , Barb. *in c. in omni negocio n. 49. de test. & attest. Ciarlin. contr. 108. n. 42. & 43.* Rot. coram Buratt. *dec. 205. n. 11.* etiam si sint domestici Barb. *Vot. 16. n. 87. l. 2. & Vot. 77. n. 56. 128. & 129. l. 3.*
- Nona quod licet humani moris sit , 20 omnes illos , qui possunt nocere , & professe vereri , ut habetur *in c. 1. 16. quæst. 2.* in hac tamen subjecta materia , metus reverentialis qualificatus , ut supra ad effectum nullitatis professionis , regulariter cadit in Avo , Patre , Matre , quæ si sit austera metum in constantem virum inducere potest , Barb. *Vot. 37. numer. 5. lib. 2.* Patruo , Tutore , & Curatore , & Fratre natu majori si simul habitet , & habeat gubernium Domus , Ricc. *collect. 1176.* Donat. *prax. rer. regular. tom. 2. par. 2. trac. 11. quæst. 11.*
- Decima quod metus semel incussus 21 durat , & durare præsumitur quamdiu durat ejus causa , quamvis in actu externo appareat libertas , Barb. *vot. 17. n. 147. & duobus seqq. lib. 2.* in terminis professionis Monialis Rot. coram Seraph. *decis. 1166. per tot.* ubi intercesserat exploratio voluntatis facta a Vicario .
- Undecima , quod Judicis arbitrio de- 22 finendum relinquitur , qualis metus cadat in virum constantem , cum enim exprimi non possint casus omnes particulares ( quamvis de aliquibus malis constet esse sufficientia ad illum inducendum ) & requiratur , ut plurimum probabilis aestimatio , juxta singulorum causum circumstantias , jam Judicis arbitrium exigitur , Sanch. de matrim. *lib. 4. disp. 5. n. 1.* Card. de Luc. *de regular. disc. 44. n. 4.*
- Et à Clausura egredi Et. Licentia egressi*

egressus a clausura, quæ hic ab Ordinario conceditur nulliter professæ ex causa metus: an possit, & debeat concedi eadem auctoritate Hermaphroditu validè profeso, ex causa diversi sexus, an potius sit expectanda licentia Papæ; hic jam quæritur, in qua questione DD. non sunt concordes: nam Bonaccin. de clausur. quest.

2. punct. 10. §. 5. n. 2. hæc habet--Hermaphroditum, in quo virilis sexus prævaleat, non posse valide profiteri in Monasterio Monialium, quia censetur vir. Si vero profiteretur in religione virorum valida esset professio. Si vero uterque sexus æqualis sit, in neutra religione profiteri potest. In dubio autem uter sexus prævaleat standum est iudicio medicorum, innixo assertioni ipsius Hermaphroditu.

Et numer. 3 major difficultas est utrum Hermaphroditus, in quo virilis sexus prævaleat possit contra professionem in religione virorum factam reclamare, vel alio remedio uti, quo Monasterio egrediatur, respondere affirmativè, quamvis enim professio valida sit, nihilominus imminent scandali periculum, ad quod vitandum petere debet a Summo Pontifice facultatem excundi. Imò Rodriq. t. 2. c. 6. ad fin. & Sanch. nu. 41. existimant expelli posse absque Summi Pontificis facultate, eo quod religionem cum periculo gravissimi damni deciperit, & Bonac. sequitur Tambur. de jur. Abbatissar. disp. 6. quest. 7. n. 2. & 3.

Tambur. de jur. Abbat. tom. 3. disp. 6. quest. 3. num. 21. sic ait--ex quibus colligitur Hermaphroditum inababilem esse ad Religionem, quicunque sexus in eo prævaleat. Quod si talis Hermaphroditus taceat suum defectum in ingressu Religionis, & ad professionem admittatur, professio nulla erit: imò cognito tali defectu ab Abbatte expelli debet, & spoliari habitu: ratio est, quia Hermaphroditus est infamis &c. & paulo post--Laurent. de Peyrin. tom. 2. de Prelat. quest. 3. c. 1. num. 59. ubi ait quod ad expellendum Hermaphroditum jam professum, non requiritur licentia Papæ, si in eo dominetur æqualis sexus: quia semper adegit incentivum peccati, somes scandali, & vix sciri potest, quo sexu sit validior.

Et nu. 22. In hac re Ledesma loco citato, & Laurentius Portellus in addit. ad

dubia regul. verbo professio Hermaphroditu movent dubitationem scitu dignissimam an qui in Monasterio Monialium, tanquam Mulier professionem facit, cum vere Mulier credatur, appareat, & sit, deinde supponens humeros suos gravi ponderi, ex vi illius ponderis, seu alio instanti accidenti excitatur sexus virilis, & sit vir, utrum teneatur in dicto Monasterio permanere, vel transire ad Monasterium Virorum ejusdem, vel alterius ordinis. Et responderet ipse Ledesma quod non tenetur stare nec inter Moniales, nec transire ad Monasterium Virorum; quia professionem emisit tanquam Mulier, non tanquam vir unde si mutata est in Virum, non tenetur amplius ad officia Muliebria, sed virilia in sœculo. Non mirandum, quod talis dubitatio inter Doctores circumferatur; quia hoc contingere naturaliter posse, affirmant gravissimi Doctores, & præsertim S. Augustin. de Civit. Dei cap. 31. &c. Et quod professio talis, fuerit ab initio invalida, tenent in eisdem terminis, & casu Pelizar. de Monial. c. 3. num. 32. Passerin. mon. infra citandus n. 152.

Donat. prax. rer. regular. tom. 2. part. 3. tract. 3. de qualit. recipiend. quest. 23. num. 5. dicit--secus autem dicendum, si magis vel valeat sexu virili, & in Virorum Monasterio profiteatur, vel si sit præpotens in feminino, & in fœminarum Monasterio, professionem faceret, sic enim validè; quia Hermaphroditus est judicandus vir, vel fœmina, juxta magnitudinem potentiae virilis, vel muliebris, & num. 6. Si vero sit paris potentiae, nulliter, & invalidè profiteretur.

Et nu. 10. Ego autem credo, quando non sit nobis opus licentia, & privilegio ad expellendum hujusmodi, etenim tenentur Viri religiosi a suis Dormitoris, Choro, & Cellis proicere Fœminas & è contra Religiosæ Fœminæ expellere masculos, secus autem horum societas, nedum erit inductoria, & provocatoria ad libidinem, sed scortis plena, & Sacrilegiis.

Passerin. de stat. hom. tom. 3. quest. 189. art. 10. insp. 4. n. 148. sic inquit - At juxta datam distinctionem dicendum mihi videtur, professionem eorum Hermaphroditorum, qui extrinsecus nullum sexum rite formatum habent, validum esse, si fiat in Mona-

Monasteriofæminarum, quia hujusmodi profœminis habendi sunt, unde & eorum professionem non esse illicitam probatum est. Si vero alter tantum sexus extrinsecus sit rite formatus, alius vero sit penitus inutilis ad usum venoris, professionem valere, si fiat in Monasterio ejusdem sexus cum eo, qui in eo

apparet ritè formatus &c. Sed loquendo de illis, in quibus uterque sexus extrinsecus est rite formatus, unde & ad utrumque usum venoris sunt habiles, puto, quod sine distinctione professio illorum in quocunque Monasterio sit, irrita est professio &c.

Et num. 149. In casu autem, quod per errorem aliquis hujusmodi Hermaphroditus fuerit ad missus ad professionem, quia nimur habens alterum sexum admissus, est in Religione alterius sexus, vel habens utrumque sexum rite formatum, admissus, est in aliqua Religione, tamquam non Religiosus, & non professus potest, & debet a Religione expelli. Ubi autem, vel sequendo opinionem, que ait professionem emissam in Religione ejus sexus, qui in Hermaphroditio prædominat esse validum, vel ubiunque professio talis vere valida sit, aut dubia, & non evidens nulla, non est admittenda doctrina Rodriq. apud Donat. d. quæst. 23. numer. 9. quod scilicet ex privilegio Leonis X. possit Hermaphroditus eiici ab Ordine à Provinciali, vel Generali, & multo minus attendi debet, quod ipse Donat. asserit num. 10 scilicet, quod non sit opus licentia ad expellendum hujusmodi. Ubi enim evidens esset professionem fuisse nullam id verum esset, sed ubi, vel professio sit valida, vel sit dubia, & disputabilis, seu indigenis Judge, qui de ea decernat an sit valida, servanda sunt Decreta Urbani VIII. ut nullus professus efficiatur nisi titulo incorrigibilitatis, & servata forma ab eo statuta, vel Concilii Trident. sess. 25. cap. 19. Ideo bene Navar. Ledesm. & Henr. supra citati dixerunt, hujusmodi professum eiiciendum de licentia Papæ. Et interim ad evitandum scandalum, quod posset contingere, poterit juxta prudentiam Superioris, talis, vel sequestrari, vel etiam carcerari, nam & grave crimen fuit in Religionem commissionem, tale vitium occultare.

Et numer. 150. Nihil etiam in his casu-

bus judicandum medico inconsulto &c. sed judicium fieri debet per Medicos, & eorum inspectionem, ex principiis enim Medicinae colligi poterit etiam Sexus Hermaphroditus, quia ex situ, & dispositione, & aliis qualitatibus, dantur signa, an talis habendus sit vir, vel foemina.

Et num. 151. In casu autem, quod aliquis talis vere professus ejiciatur, nec tenebitur aliquam religionem ingredi, quia ad nullam est aptus, sed tenebitur ad votum castitatis, & ad alia etiam vota, & observantias Regule eo modo quo dictum fuit supra, teneri alias a Religione ejectors.

Quare cum tam isti Authores, licet discordes, quam alii ab eis allegati magis communiter in hoc convenienter, quod Hermaphroditus possit validè propter in ea Religione, cuius sexus prævalet sequitur quod quando de nullitate a principio evidenter non constat, sed potius de validitate, vel saltem de ea dubitatur, non possint locorum Ordinarii, nec alii Regularium Superiores (juxta Passerini Sententiam) propria auctoritate, & inconsulta Sede Apostolica, Hermaphroditos ejicare, & a Religione depellere, quia votum professionis, si semel fuit validum, infirmum, & invalidum, fieri non potest ab inferiore Papæ idem Passerini loc. cit. n. 162.

Nec relevat, quod si de facto non possint expelli, eorum societas esset occasio scandali, & provocatoria libidinis, ut dicunt Tambur. & Donat. quia ex hoc oritur causa legitima, propter quam Papa potest, imò debet dispensare, ut Hermaphroditus a Religione dimittatur ut docet Navar. consil. 47. num. 47. de regular. non autem acquiritur jus, ut possit fine licentia Papæ depelli: nam detecto morbo, donec responsum Papæ, seu Sac. Congr. Episcop. & Regular. habeatur, scandalis, quæ possunt contingere, occurritur, ut inquit Passerini. vel sequestratione personæ, vel alia prudentis Ordinarii provisione.

Verum est quoque id, quod firmat Passerini: quod ad cognoscendum morbum, seu præpotentiam sexus Virilis, aut foeminei, non est standum dicto Hermaphroditæ, sed Medicorum, & in hoc concors est DD. opinio, & etiam

Dos

Donat. loco cit. numer. 7. admittit dicens, si reges quoniammodo potest cognosci hæc præcellentia sexus; sunt qui dicunt, quod standum sit ejus dictio, hæc tamen regula non placet Eccl. etenim in his non standum est dictis eorundem, si namque quoad hæc haberent liberam facultatem, non quod virtus, sed quod eis melius, aut delectabilitus foret, eligerent. Et Bonaccin. de impedim. matr. quæst. 3. punct. 13. num. 28. ait - Rogabis primo ad quem pertineat indicare quinam sexus prævaleat, & quid faciendum sit in dubio. Respondeo judicium pertinere ad Medicos, vel ad Matronas peritas, quæ ex pudendarum partium inspectione, judicium ferre debent Eccl. in dubio tamen judicium ferendum est ex ipsis Hermaphroditæ assertione, nullus enim magis valet hunc statum divinare quam ipsem. Et idem tenet cum aliis Sanch. de matr. lib. 7. disp. 106.

27 num. 2. Hæc autem pudendarum partium inspectio remitti, & evitari non debet, quia potest dari casus, quod promanatio hujus morbi, tam in Viro quam in foemina sit invalida, & prorsus inutilis ad usum veneris, & quod sine periculo scandali, Hermaphroditus possit in Religionem remanere: prout accidit in una Spolestanæ, in qua cum relatum fuisset clar. m. Cardinali Pallavicino tunc Episcopo in Monasterio Monialium N. determinatam fuisse quandam Monialem Hermaphroditam, quæ in sexu Virili prævalere asserebatur; facta per Peritos recognitione, repertum fuit, partem sexus Virilis fuisse potius excrescentiam carnis, quam formam membra Virilis, minimè aptam, ac illispositam ad emissionem spermæ: Unde exposita relatione Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium, & dato ab eod. Cardinali quæsito An dicta Monialis esset à Monasterio expellenda, seu potius toleranda: eadem Congreg. sub die 2. Junii 1690. respondit arbitrio, & prudentia Em. Episcopi. Quod arbitrium maxima cautela, & circumspectione, (quoties arbitrio locus) hac in re adhibendum erit: quia licet Hermaphroditus non haberet sexum Virilem, vel muliebrem ritè formatum, nec aptum ad generationem; adhuc si haberet aliquem usum illorum, quia ex hoc esset sufficiens, & aptus ad explen-

dam malitiam incontinentiæ, & provocandum libidinem, tolerandus non esset.

Concludendum propterea est, quod <sup>29</sup> licet Hermaphroditus non sit admittendus ad professionem neque in Monasterio sexus in ipso prævalentis, Donat. prax. rer. regul. tom. 4. tract. 9. quæst. 5. num. 1. Pelizar. de Monial. c. 3. num. 32. Si tamen fuit admissus, non potest detecto morbo ejici, & a Religione dimitti (nisi nullitas receptionis a principio esset evidens) inconsulto Papa, qui habet justam causam dispensandi, ut dimittatur: imò ad evitanda scandalæ, & occasionem venditilibinem, debet cum eo dispensare, etiamsi validè sit professus, Navar. conf. 47. de regular.

Et hic nota, quod Hermaphroditus <sup>30</sup> est irregularis, & ordinari non potest absque Papæ dispensatione, Navar. in manual. cap. 27. num. 203. Gavant. manual. Episc. verb. Hermaphroditus num. 1. Piasc. in prax. par. 1. cap. 1. art. 3. numer. 2. Et si ordines suscipieret absque dispensatione, reciperet quidem characterem si in sexu Virili prævaleret, sed perpetuo suspendi deberet ab ordinum susceptorum executione: si vero æquè incalesceret sexus Virilis, & Muliebris, characterem non reciperet, Sayr. de censur. lib. 6. capit. 8. num. 24.

Item quod Hermaphroditæ, seu Androgyni dicuntur, eo quod in eis uterque sexus apparet. Herma quippe apud Græcos malevolus est: *Aphrodi* foemina nuncupatur, de quo videndus S. Augustin. de civit. Dei lib. 16. cap. 8. Quamvis hi apud nos pauci sint, tamen aliqua Regio iis abundat, & præsertim apud Indos ubi eo quia robusti sunt, & exosi, Jumentorum loco inserviunt, prout de Provincia Floridæ in America testatur Jason. in *Theatr. Orb. terrar. tom. 3.* his verbis -- abundat Regio Hermaphroditæ, quorum servili opera mancipiorum, jumentorumque loco utuntur; quem refert etiam Verticell. in tract. de *Apostolic. mission.* tit. 14. miscellan. quæst. 196. dub. 1. numer. 2. qui Author ibid. & dub. seq. ex Democrito Plinio, & Eliano, probat Lepores utrumque sexum habere, & mutuò coitu absque foeminis sorum speciem

150

propagare: darique Hermaphroditos par-rem, & perfectam potentiam habentes, pariendi, & gignendi.

32. *Esse publice denunciandum.* A declara-toria incursus hujus censuræ, quando E-piscopus procedit jure ordinario datur ap-pellatio, qua tempore debito interposita, tenetur denunciationem suspendere, præ-fixo appellanti termino ad illam prose-quendam. At si Ordinarius censuras com-minaret vigore commissionis, & rescripti, quo solet Sac. Congr. Concili demandare, *ut procedat contracogentem*, prout vidimus supra, tunc puto, quod præmissa moni-tione ad videndum se excommunicatum denunciari possit ad denunciationem pro-cedere, & devenire nulla attenta appella-tione, cum enim ejusmodi rescriptum non emanet, nisi causa cognita super vi, & metu illato, & sic non possit excommuni-candus ab Episcopo Executore gravari, denunciatio non poterit ab appellatione sus-pendi, cum certum sit in jure, quod a mero Executore non detur appellatio*c. novit. 43. de appellat. c. consultationem de sent. & re judic.*

33. Ut igitur hoc rescriptum, seu De-cre-tum Ordinarius debito ordine contra cogentes fœminas exequatur, debebit il-lud exhiberi facere in forma authentica in Actis, & postea Promotore Fisci in-stante mandabit citari, & moneri excom-municandus forma sequenti.

*Citetur, & moneatur N. ad dicendum contra rescriptum, sive Decretum Sacr. Congr. Concilii de Urbe emanatum in Causa N. & in actis in forma authentica exhibutum ad primam diem: & secunda die immediate sequenti, dicendum, & allegandum causam quare non debeat excommunicari: & die ter-tia pariter immediate sequenti, videndum se excommunicari, & excommunicatus declarari, & denunciari, ipso amplius non monito &c.*

Si verò rescriptum sit exequendum contra cogentes Viros: quia isti non com-prehenduntur in Decreto Concilio, ut vidimus supra, & excommunicati non sunt, debent excommunicari; monitio erit aliqua in parte varianda, & sic po-terit concipi.

*Citetur, & moneatur N. ad dicendum*

*contra rescriptum, sive Decretum Sac. Congr. Concilii de Urbe emanatum in Causa N. & in actis in forma authentica exhibutum ad primam diem: & secunda die immediate se-quenti, dicendum, & allegandum causam quare non debeat excommunicari: & die ter-tia pariter immediate sequenti, videndum se excommunicari, & excommunicatus declarari, & denunciari, ipso amplius non monito &c.*

Transacto termino, & nihil quod re-<sup>34</sup>levet per citatos deducto ad denuncia-tionem, & declaratoriam respective ex-communicationis poterit devenire; ap-pellatione quacunque, seu inhibitione, aut exhibitione absolutionis forte obtentæ a Pœnitentiaria Urbis ( quæ non pro-dest in foro externo ) non obstante: sub-scribendo tam acta hujus processus, quam Cedulones, tamquam exequitor rescripti S. Congregationis.

Neque denunciationem retardare po-<sup>35</sup>terit reflexio, seu objectio, quod cum agatur de peccato præterito, de quo cogens potest esse emendatus, non debeat contra usum Ecclesiæ ( quæ illos tantum qui a peccato cessare nolunt, vel iussi restituere, aut moniti juri stare, vel pro offesa, & peccato satisfacere noluerunt cen-suris punit ) ad excommunicationem de-veniri, quia hic non tantum agitur de me-ro peccato præterito, ut de sacro neglecto die festo, vel non servato jejunio die Sab-bati Sancti, sed de peccato præterito qualificato cum damno, & ruina proximi, a quo pendent scandala, & jam sub pœna excommunicationis a lege prohibito, & nunc per sententiam Judicis, qui jubet pu-niri, notorio, & manifesto; ideoque re-ctè, & juste fertur excommunicatio con-tra cogentes, non solum quia sunt pecca-tores manifesti, & Ecclesia in foro exter-no præsumit, eos adhuc in peccato per-manere, ex quo vim passa, modo, quo poterint, non satisfecerint, sed etiam, quia ad promovendum bonum commune, expedit, ut ita fiat, ad hoc ut cæteri ho-wines avertantur ab hoc scelere..

*De excommunicatione contenta in  
clem. 1. de sepultur.*

Contingit aliquando , quod vel tempore Interdicti corpora defunctorum in casibus a jure non concessis , vel decedentium impænitenter , qui aliqua pu-

blica censura sunt innodati , scienter sepeliantur in loco Sacro , formidantes homines potius minas Consanguineorum , qui possunt corpus occidere , quam Censuras Ecclesiæ , quæ eorum animas feriunt . Unde constito in actis de tali excessu , Ordinarius ad Declaratoriam poterit devenire modo sequenti .

## Sententiæ Declaratoriæ

## F O R M U L A XXXVII.

**V**Ibis relatione nostri Promotoris Fiscalis de tumulatione in loco Sacro Cadaveris q. N. publicè excommunicati ( sù nominatim interdicti ) & depositionibus testium , ex quibus constat tumulationem sequutam fuisse in Ecclesia N. externa die , mandantibus , & exequentibus infrascriptis ; nec non *vix* monitione contra eosdem ex equita , dicimus , & declaramus omnes infrascriptos , qui temere , & scienter sepeliri mandarunt , & actu sepelierunt in d. Ecclesia cadaver d. q. N. excommunicati , & nullo modo absoluti , damnabiliter incurrisse excommunicationem majorem contentam in *clem. 1. de sepultur.* & propterea tanquam excommunicatos , esse publicè denunciandos , prout nos denunciari volemus , & mandamus , nempè .

N. N.  
N. N.  
N. N.  
N. N.

Qui excommunicati existent , donec satisfactionem exhibuerint competentem . Item per caput separatum dicimus , & declaramus d. Ecclesiam N. esse pollutam , & non posse in ea , antequam reconcilietur nec officia divina celebrari , nec fidelium corpora sepeliri , omni &c.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

## S U M M A R I U M .

- 1 A comminatione censuræ latæ a jure , non datur appellatio .
- 2 A declaratoria hominis , qua quis declaratur in censuram incursus , datur appellatio etiam in suspensu , fallit , ut n. 3. & 4.
- 3 Qui dicantur temere , & præsumptuosè sepelire excommunicatos , referuntur DD. Sententiæ , & n. 6.

- 7 Sepelientes ignoranter excommunicatos , non incurruunt poenæ Clementinæ , 1. de sepult.
- 8 Sub Clementina 1. de sepult. censura comprehenduntur , etiam exempti , qui ab Ordinario publicè denunciari possunt .
- 9 Clerici sæculares , vel Regulares inducentes aliquem ad eligendam Sepulturam in eorum Ecclesiis , excommunicationem Papæ reservatam .